

his seu Luminaribus Sole & Luna aliquousq; cognitam: reli-
quarum vero Stellarum pariter omnium Quantitates & Di-
stantias traditas incertas & fictitias: Maxima tamen & à nobis
remotissima earundem corpora ostendemus.

Fundamenta item vnde & Solaris & Lunaris Distantia &
Quantitas deprompta sunt, quidue dubij admittant.

Quod etiam tam Solis quam Lunæ Quantitas reuera ma-
ior existat demonstrabimus.

His generalem & relativam Stellarum inter se Distantiam
subiungentes, Stellas omnes Fixas supremas statuemus. Planetas
7, ordinefere recepto subiungentes. Venerem tamen & Mercuri-
um nec infra nec supra Solem simpliciter, sed circum eundem
volutari potius cum nonnullis asserentes.

Fixarū etiam Stellarum alias remotiores alijs ostendemus.

Visibilem dehinc Stellarum Quantitatem & Magnitudi-
num vsitatis differentijs includentes, Distantiam Stellarum &
aliarum rerum Visibilem hæctenus inter alia incognitam & in-
tactam plane, & vnde Opticæ totius error insignis profluit,
ratione & arte certa determinabimus.

V.

Demum de Motu Stellarum tractabimus, qui inter Phæ-
nomena Stellarum præcipuus, eidentissimus, maximeq; sa-
lutaris censetur, adeoq; cætera phænomena pleraq; immutat.

Initio autem proposito in Stellis ipsis Gyrationis motu:

Volutionis motum quemcunq;, adeoq; & Cœli & Stel-
larum omnium motus omnes non alios quam sequentes ter-
nos sese exhibere concludemus.

Primum ponentes motum Cœli totius, quo horis 24. ab
ortu occasum versus cum Stellis & Contentis omnibus super
Mundi Polis circumuolui cernitur.

Secundo statuentes motum proprium & singulorum per
se liberum 7 Planetarum, quo motu ab occasu in ortum (quo-
ad integram periodum) planetæ mouentur, singuli velocitate et
varietate sua. Sub quo motu & Longitudinum & Latitudi-
num in quibusdam Fixis Stellis mutationes comprehendere
licet.

Tertio motum asserimus non Fixarum tantum, sed Cœli
totius cum Stellis & Contentis omnibus ab occasu in ortum, an-
norum millenarijs circumscriptum pluribus: eumq; non dupli-
cem sed vnicum: dum à motu Planetarum & Solis inprimis
proprio integra Cœli machina sensim vna promouetur.

Atqui